DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ASARO

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

A. d. XXX. Maij MDCCXXXIX.

PVBLICE TVEBITVR

AVCTOR

IOAN. CHRISTIANVS HEINZ

VRATISLAVIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRIS
ILLVSTRI
GENEROSISSIMIS. MAXIME. STRENVIS
AMPLISSIMIS. CONSVLTISSIMIS
DOMINIS
INCLVTÆ. REIPVBLICÆ. VRATISLAVIENSIS
PRÆSIDI
SENATORIBVS
SYNDICIS
ATQVE
SECRETARIIS
MÆCENATIBVS. ATQVE. PATRONIS. SVIS
OPTIMIS. MAXIMIS

PRIMITIAS. HASCE. ACADEMICAS

PRO

INSIGNIBVS. HVCVSQVE. SIBI. MVSISQVE. SVIS

EXHIBITIS. BENEFICIIS

IN

CERTISSIMAM. GRATI. OBSTRICTISSIMIQVE. ANIMI

TESSERAM

CVM

OMNIGENÆ. PROSPERITATIS. VOTO

MORE. ANTIQVO

D. D. D.

TANTORVM. NOMINVM

Devotissimus. Cliens

IOANNES. CHRISTIANVS. HEINZ.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

ASARO

PROOEMIUM.



Atet ex disciplinarum salutarium, & arctissimi quo invicem constringuntur vinculi vel primo intuitu, quam amplis & augustis illæ limitibus circumscribantur. Hinc, quis est, quem fugiat, artis medicæ peritum, instructissimum iis omnibus esse oportere, quæ ad cognoscendum corporis humani partium, situm, nexum, usum omnemque tam in optima quam affecta valetudine constitutionem faciunt; deinde autem exactissime cognoscere debere omnia, quibus sanitas illæsa conservari, læsa vero potest restitui. Conservatur autem & restituitur, cum tria vulgo numerentur naturæ regna, thesauris amplissimis instructa, illis præsertim, quæ ex vegetabilium regno petuntur, saluberrimis æque ac abunde sufficientibus tam alimentis quam medicamentis. Æquus

proinde rerum arbiter, non est cur succenseat, in simplicis cujusdam ex regno vegetabili virtutibus indagandis, vires ingenii periclitanti. In tanta vero plantarum quibus officinæ abundant copia, indigenas sæpe plantas eidem, quem præstant exoticæ, usui sufficere, nec adeo his post ponendas esse, nemo non lubens fatebitur. Quotusquisque autem ad solidam rei herbariæ notitiam adspirat, non solum ut nomina, structuram, & characteres plantarum noverit atque perspiciat, sufficit: sed necessarium quoque est illa in usum suum ut transferat, & vires ac præstantiam earundem habeat exploratas. Quo vero propius ad id, de quo commentari mecum constitui, accedam; breviter id edisseram. *Asarum* illud est, planta indigena, quam si ex vomitoriis, uti vocantur, medicamentis usu tutissimam, dixero, & plane polychrestam, minime a vero aberravero. Hanc itaque & botanice, & secundum usus suos in re medica insignes, accurate in præsentiarum nobis contemplandam sumimus.

§. I.

§. I.

CVm de *Asaro* in præsenti agere constituerimus dissertatione, necessarium esse duximus, pauca de Onomatologia prælibare. Græcæ originis esse perhibent autores & a σαίρω id est orno, & particula privativa α compositum pronunciant: Id quod PLINIVS *Lib. XXI, Cap. VI.* dissertis verbis docet: *Quinimo Asaron* (inquit) *invenio vocitari, quoniam in coronis non addatur.* Licet igitur antiquitus multa nomina huic nostræ plantæ imposita fuerint, quum ex. gr. Vulgago, Nardus sylvestris, Nardus rustica, immo αἷμα ἄρεως, Martis sanguis appellata fuerit: inter omnes tamen recentiores Botanicos, & materiæ medicæ scriptores nomen *Asari* ita in usu est, ut illud merito, reliquis relictis, retinere queamus. Nec longam controversiam movebimus, quatenus baccaris antiquorum cum nostra planta conveniat, vel quatenus ab eadem diversa sit, cum, qui hæc evolvere studet, in DODONÆI *Historia stirpium Pempt. II. Lib. IV. Cap. XXV.* prolixam inveniat tractationem.

§. II.

Sed evolvamus quæso definitionem ipsius plantæ, ex methodo Riviniana desumtam: gaudet nimirum flore monopetalo, regulari, seminibus tectis, capsula sex partita. Dubium certe oritur, an hæc definitio veritati respondeat? cum & TOVRNEFORTIVS & BOERHAAVE aliique autores inter apetalas plantam nostram referre non dubitaverint, imo RVPPIVS in

flora

flora Jenensi tripetalis adscripserit. Non quidem negari potest florem ipsum fructum, instar calicis, continere; quia tamen color quodammodo diversus, petaloides quid ostendit, calicis potius quam petali defectum assumere voluimus: liberum tamen cuilibet relinquimus, si in hoc plantæ conceptu a nobis dissentire velit. Cum RVPPIO vero florem tripetalum salutare incongruum videtur, quoniam in fundo floris omnia exacte cohærent, ita ut nec marcidi in tres partes resolvantur. Ne recentiores methodicos negligere videamur, cum LINNÆO dodecandriam monogyniam appellare possemus, habet enim duodecim stamina & stilum simplicem.

§. III.

Deprehenduntur quidem *Asari* diversæ species, inter quas

Asarum canadense, mucronato folio, MORISON. *Sect. XIII. Tab. VII.* &

Asarum Virginianum, cordato folio & maculato, sive serpentaria major offic. *Morison. loc. cit.*

satis inter se convenire videntur. Nostrum tamen ab illis sufficienter differt, inprimis si foliorum figuram paulo attentius consideramus, quæ in nostro plane singularis deprehenditur. Est verum *Asarum* DIOSCORIDIS, CASP. BAVH. *in pinace Lib. V. Sect. VI. p. 197.* & germanico nomine, TRAGO teste, Haselnwurtz dicitur. Imperfectior quidem est ejus icon, descriptio tamen maxime placet. Delineationes exactiores dederunt DODONÆVS *Pempt. III. Lib. II. Cap. I.* & MORISONIVS

NIVS *Sect. XIII. Tab. VII.* qui illud ad differentiam exoticorum *Asarum vulgare rotundifolium* appellat.

§. IV.

Hisce de nominis ratione, generico & specifico conceptu nostræ plantæ præmissis, ad exactiorem ejus descriptionem progredimur. Radix est calami crassitie, repens, quodammodo nodosa & figura ad polypodium accedens, extus ex fusco viridescens, intus albicans, fibris plurimis hinc inde dimissis, quibus succum ex terra haurit, circa initium anni turiones æstate & autumno præcedenti formati, squamas expandunt, ita ut mense februario jamjam duo folia florem in medio tenentia ex squamis prodeant. Flos vero ipse Martio mense excluditur & viget. Folia longis pedunculis insistunt, undique per terram sparguntur & flores quasi abscondunt. Sunt illa superius in virore splendentia, inferius vero tenui lanugine pubescunt, & figura ad reniformem quam maxime accedunt, ita ut illis tantum plantam cognoscere possimus. Flos breviori pedunculo quam folium insistit, petalum vel nudum dici potest, calice destitutum, vel calicem sive perianthium monophyllum campanulatum appellare possis, ut jam supra ostendimus. Nos priorem sententiam assumentes petalum semitrisidum, coriaceum, ex atro rubicundum persistens nuncupamus, simulque monemus lacinias alias erectas apice inflexas esse. Stamina habet duodecim, sex quodammodo breviora, sex quodammodo longiora alternatim posita, filamentis petali parietibus adnexis. Ovarium in fundo floris hæret, & stilum

 cylin-

cylindraceum breviorem e centro emittit, cujus ſex tubæ in ſummitate bifidæ, ſtellulam in medio formant. Fructus ex ovario formatus, quando ſiccior fit, quodammodo angulatus evadit & in ſex loculamenta dividitur, quæ ſemina ovata oblonga recondunt.

§. V.

Reſtant adhuc pauca de loco natali & tempore colligendi notanda. Plantam noſtram in locis ferme omnibus climatis temperatioris inveniri autores teſtantur. DIOSCORIDES *loc. cit. Lib. I. Cap. IX.* in Ponto & Phrygia inveniri teſtatur, recentiores vero Botanici in Germania, Gallia & ſic porro provenire aſſerunt, Amat montium opaca & umbroſa loca, & nomen germanicum abunde docet, ſub corylis potiſſimum largius naſci hanc noſtram plantam. Hyemis patiens eſt & foliis nondum exſiccatis jam novi protruduntur turiones. Radices, quæ primo vere jam flores emittunt, vim ſuam optimam autumnali tempore continere, ex vegetationis hiſtoria patet. Magis igitur autumnali, quam vernali tempore radices valent: hoc enim flores & folia ſucci copiam exhauſerunt; hincque vires medicatas in radice deprehendimus tunc debiliores. Quod ſi vero quis folia magis in uſum trahere vellet, ea inprimis menſe Majo ſucculenta & efficacia deprehendet.

§. VI.

Cum radices virtute medica præſtare foliis credamus, quædam adhuc de his ſpeciatim monere neceſſe duximus. Radices recentes acres omnino deprehenduntur, & licet ſimul nauſeoſum quid contineant, tamen aro-

aromatica quædam vis ineſt, & quæ odore ad nardum accedente detegitur, nauſeam illam quodammodo temperat. Exſiccata radix fuſca eſt & inſigniter contracta, acrimoniam quidem ſufficientem præbet, aromaticum vero quodammodo deficere, & amaricantem ſaporem magis prævalere experti fuimus. Id quod ut infra dicturi ſumus, ſatis oſtendit volatilem partem vel tranſpiraſſe, vel ſolidioribus partibus magis adhærere. Porro quoque notandum venit, nauſeoſum principium in exſiccata radice non adeo efficax inveniri.

§. VII.

Innumera in materia medica docent exempla, partes plantarum recentes efficaciorem virtutem habere; id quod ex mutationibus vegetationis ſatis patet. Succus enim, qui per plantam movetur, ita comparatus eſt, ut omnes partes medicatas, cujuscunque ſint indolis, in ſe continere queant. Quælibet planta proprios habet ſuccos, propriasque partes ſibi ſoli convenientes. Proprius igitur ſuccus genuinum eſt menſtruum, quod vim plantæ totam ſuſtinere poteſt. Quod ſi vero aquoſa pars ex planta tranſpirat & inter exſiccandum in auras abit, tunc aquoſa pars non ſola ſecedit, ſed mobiles & volatiles partes ſecum abripit; Si igitur poſtmodum aqua vel aliud menſtruum ſumitur, tunc nec omnes partes arcte cohærentes ſolvere, nec partes amiſſas reſtituere poteſt. Hoc de omnibus ferme plantæ partibus valet, & in illis inprimis aſſerendum erit, ubi volatile ad energiam plantæ multum confert. Concludimus igitur exinde Aſari noſtri radicem multum præſtare, ſi re-

cens illa sumi possit. Tunc enim volatili sua & ventriculi fibras irritante virtute in vomitu ciendo magis operari & in Diuresi etiam partes salinas fixiores promptius a vinculo liberas reddere valet.

§. VIII.

Hisce præsuppositis ad examen chymicum progrediendum erit. Autores enim qui radicem siccam disquisiverunt, magis sal fixum & acre purgans quam volatile invenerunt. E contrario in radicis recentis examine sal volatile aromaticum & oleosum imo sulphurei principii præsentiam deprehenderunt. Primo igitur cum TOVRNEFORTIO *in historia plantarum circa Parisios nascentium*, gallico idiomate edita asserimus, Asarum multum salis volatilis, aromatici, oleosi, copioso sulphure scatentis continere, & insuper partes multas terrestres, quæ ex amaritudine cognoscuntur, possidere. Folia æque ac radicem multum acidi continere idem autor asserit; quoniam chartam cœruleam rubicundo colore tingunt. Examen chymicum apud *Academiam regiam scientiarum* institutum quoque docuit, multum olei & terræ, pauxillum spiritus urinosi & multum liquoris acidi ex hac planta eductum fuisse, & licet sal volatile concretum non exhibuerit, tamen odoris insignis præsentia aliquid inesse non incongrue docet.

§. IX.

Hinc ad remedia propero in pharmacopoliis prostantia, ubi nempe occurrunt:

1. Aqua destillata Asari.
2. Extractum Asari.

3. Olim

3. Olim quidem reperiebatur Electuarium FERNELII, quod tamen hodie penitus exolevit. Interim vero hujus compositio, quam SCHROEDERVS *in thesauro pharmacologico* describit, talis est:

Rec. Syrup. Menth.
Violar. aa. unc. viij.

Coquantur in mellis crassitiem, sub finem subducto igne insperge:

Rec. Rad. Peponis arefactæ,
Sem. Raphani & urticæ, maceratorum in aqua rosarum, arefactorum & tritorum ana unc. j.
Rad. Asari contritæ unc. ij.
Cinnam.
Sem. fœnicul. ana drachm. iij.

Confice in Electuarium liquidum.

4. Extractum alcalisatum, quod venit nomine Coaguli Asari.

Rec. Rad. ac fol. Asari extrahe cum spir. vin. ac filtra. Hinc adde sal ex incineratis fæcibus elixiviatum, & ad ignem fusionis calcinatum, solutione ac inspissatione purificatum, abstraheque vini spiritum ad consistentiam mellis, vid. SENNERT. in *institut.*

DIOSCORIDES in *materia medica Lib. V.* vini cujusdam de Asaro confecti mentionem facit; quod vinum Asariten nominare suevit. Asariten sic conficito, inquit: Asari unc. iij. *in musti heminas duodecim itidem adjicito. Id vini genus urinam ciet, atque hydropicis, regio morbo laborantibus, hepaticis ischiaticisque convenit.*

§. X.

Datur præterea dosis radicis crudæ in pulvere a drachm. dimidia ad integram, in infuso cum vino facto unc. dimidia pulveris radicis, stet per noctem & exhibeatur. Cui porro simplicia adduntur, stimulans scilicet atque corrigens. Ad quæ conficienda fere sequentem formulam præscribere solent.

Rec. Rad. Asari scrup. j.
tart. Emet. gr. j.
tart. vitriolat. gr. vj.
M. pro dosi.

vel

Rec. Rad. Asar. scrup. j.
Ipecacoannh. gr. v.
Arcan. duplicat. scrup. sem.
M. pro Dosi.

In infuso vini & decocto aquæ prolixior usurpatur dosis, a drach. II. ad III. vel IV. Si autem decoquatur, vim suam vomendi amittit, quamvis jam infusa partem aliquam perdit. Video tamen alios in dosi præscribenda parciores, ita vt a semi drachma vino infusa, modo calor non accedat, vomitorium effectum promittant. Forte non de nihilo est monitum, quod asarum non æque efficax omnibus locis proueniat, & dosis pro eo moderanda sit. Quid medici in mea patria fecerint, infra §. XIV. adducam. Diureticum optimum cum radice Asari formatur, si in quantitate sufficienti aquæ vncia I. pulveris radicis immittitur & cineribus calidis imponitur per noctem, ubi magis sal fixum solvitur & tunc diureticum magis quam vomitorium est. DO-

NÆVS

NÆVS *in Hiſtor. Stirp.* radices, inquit, vino *macerari poſſunt, ſed utilius in ſero lactis aut hydromelite.* Folia vero numero octo aut novem ſufficiunt, quorum cum liquido aliquo contuſorum & in vino albo dimiſſorum expreſſus ſuccus exhibetur. Præparata paragrapho antecedenti recenſita, extractum ſcilicet Aſari a ſcr. I. ad gr. XXV. Electuarium Fernelii ad dr. III. vel IV. Extractum alcaliſatum, quod alias Coagulum Aſari vocatur a ſcr. I. ad II. diſtribuitur.

§. XI.

Vomitoria efficiunt, ut humores vitioſi per os ejiciantur; & non ſolum ventriculum, ſed etiam inteſtina, hepar, lienem, pancreasque evacuant. Ad hanc ſpeciem evacuantium noſtrum etiam *Aſarum* pertinet, unde vero hic effectus produci queat, ex indagatione illius principiorum facile patebit de quibus §. VIII. dictum fuit. Nimirum *Aſarum* ex particulis ſalino-ſulphureis volatilibus conſtat, ſi radix illius vel in pulverem redacta, vel etiam in infuſo, ore deglutiatur; particulæ autem antea nominatæ, ſi ſolvantur, ventriculum fortiter irritant, contractionemque illius promovent, motus convulſivos excitant, & contenta ideo in ventriculo per os ejiciunt. Quomodo autem illa contractio irritante aſſumto vomitorio peragatur, ut ingeſta, humoresque vitioſi per cardiam ſurſum vertantur, paucis adhuc explicandum erit. Priusquam vero hoc fiat, organum primarium hunc effectum producendi capax, aliqua ex parte illuſtrare neceſſe eſt. Anatomici ventriculi ſtructuram accurate deſcribentes, ex quatuor

tuor eum tunicis constare demonstrant. Prima & quidem exterior, quæ membranacea est, a peritonæo procedit. Secunda musculosa, convexa parte ventriculi fibris validis contegitur, quæ ab ore superiori illius incipiunt & ad pylorum progrediuntur. Serie orbiculari vel spirali ejus cavum ambiunt, perpendiculari vero latitudinem arctant: parte autem concava constat fibris obliquis, dorsi ejus & oris superioris partem circum ambientibus. Fibras quoque habet longitudinales pylorum amplectentes, & simul circum cardiam ductas; quibus ventriculi fibris omnibus si pylorus valde coarctatur atque clauditur; cardia ampliatur, & ejectio in ventriculo contentorum per guttur superius peragitur. Quod ad tertiam spectat, quæ nervosa dicitur, distributione magna vasorum capillarium nervisque quam plurimis gaudet, multisque glandulis ornatur. Denique sequitur quarta, villosa dicta, quæ foraminulis, per quæ glandulæ prioris tunicæ secretum humorem emittunt, quam plurimis instruitur. Ex hac itaque præmissa descriptione ventriculi illucescit, qua ratione vomitus produci queat, & ille quidem artificialis, qui per remedium emeticum provocatur. Primo scilicet fundus & latera, vi musculorum, contrahuntur, deinde vero pylorus constringitur & cardia laxatur. Ad istam autem actionem efficiendam, opus est materia subtili salino-sulphurea, quæ irritationem faciat. Hæc in Asaro nostro reperitur. Proinde si sumatur vomitum exercendi causa, materia illius primo in villosam, & deinde musculosam atque tendinosam irritatione agit. Ventriculus autem non vi sola

sua,

sua, sed etiam actione musculorum abdominis & Diaphragmatis, retenta per os ejicere aliunde notum est, nec hic opus videtur longa eius rei diductione.

§. XII.

HELMONTIVS in *magn. vuln. curat.* radici *asari* etiam vim purgandi adscribit, consentiente quoque DIOSCORIDE, qui *in mater. medica*, si infusum, inquit: *hujus radicis sumatur, veratri albi modo purgat.* Evacuantia autem quæ vocantur purgantia, id est, quæ ex intestinis, interdum vero & ventriculo materiam mucidam seu pituitosam, acidam, biliosam, nidorosam & lymphaticam per alvum ejiciunt, iterum in classes suas singulares sunt divisa, in phlegmagoga nimirum, serum mucosum expellentia; hydragoga, serum fluidum effectu drastico educentia; chologoga, bilem evacuantia; melanagoga, ex hypothesi veterum bilem atram purgantia; & denique panchymagoga, ex aliis composita humoresque diversæ qualitatis ejicientia. Inter purgantia vero & ea quidem in specie inter melanagoga dicta *Asarum* nostrum plerumque referri solet. Cur autem inter illa locum mereatur, & quomodo ejusmodi effectum producere possit, non possum non in præsenti aliquo modo dilucidare. Cur per alvum purget, iterum ex illius principiis jam sæpius nominatis patet. Et quidem si ventriculo minus sensibili ingeratur, & per addita alia determinetur, vt sunt salia media; itemque si ipsa planta diutius exsiccata aut decoquendo debilitata & volatili principio orbata sit, effectum suum per alvum producit. Nam latera intestinorum & quidem tunicam villosam, quæ admodum nervosa est, suis particu-

lis acribus irritat atque ſtimulat, mediante vero ſtimulatione motus in inteſtinis contractorii vegetiores excitantur, motusque illorum periſtalticus acceleratur, exinde fuſio lymphæ in glandulis inteſtinalibus augetur, ac per inferiora excernitur. Veteres jam obſervarunt, purgantium, aliquas particulas non ſolum in inteſtinis reſiduas manere, ſed etiam ductum choledochum & pancreaticum ſtimulare; de illis quædam etiam per vaſa chylifera ad maſſam ſanguineam abeunt, ibique vim ſuam exercent vaſa ad vegetiorem ſyſtolen exſtimulando, ſicque corpus humanum ab impuritatibus ſuis, auctis ſecretionibus & excretionibus, liberant.

§. XIII.

Præterea *Aſaro* noſtro etiam vim urinam ciendi tribuunt, ideoque diureticis annumeratur medicamentis. Priusquam vero virtutem ſuam exercere poteſt, coctione opus habet, ubi tamen paulo nimis coquitur, vires purgantes & vomitorias amittit. Quod etiam affirmat HELMONT. *in Pharm.* HEVRNIVS *in Method. ad Prax.* ETTMVLLERVS in *oper. med.* Atqui hæc radix noſtra, ſale volatili eſt donata, ſi itaque illa cocturæ ſubjiciatur, illud ſal ob volatilitatem ſuam mediante igne cum vapore exhalatur; deinde ſal fixum concentratum partesque terreæ in radice tantummodo remanent. Ex materia medica conſtat, quod pleraque plantarum ſalia fixa lixivia diureſin promoveant, id quod etiam de particulis terreis intelligendum. Quod ad priores attinet, glandulas renales tubulosque corporum mamillarium ſtimulant; alteræ vero vi ſua ſtyptica tubulos renum coarctant, ſicque illos ſtimulando & coarctando novum

intro-

introducunt motum in serum urinosum, & vias urinarias ad contractionem invitant, ut humores tanto facilius excerni possint. Diuretica vero aliquando etiam emmenagoga esse possunt. Atque in nostro *Asaro* pariter hæc vis est invenienda, ubi tamen minori dosi necesse est, adhibeatur, si prius cocturæ paulo vehementiori fuit subjecta. Namque calefacientia sanguinis menstrui se- & excretionem promovent, atque obstructionem vasorum vterinorum aperiunt. Tali autem vi calefaciendi nostram radicem præditam esse, bene monet DIOSCORIDES *loc. cit.*

§. XIV.

Cum igitur de *Asari* nostri usibus quædam generaliora præmiserimus; sequitur ut etiam ad specialiora veniamus, paucisque adhuc addamus, in quibusnam affectibus corporis humani tuto atque optimo cum effectu adhiberi possit. Quæ vero tam ab ipsa experientia, quam a prima illius causa repetenda esse videtur. Atque antecedentibus illud jam non solum inter vomitoria, purgantia, diuretica atque emmenagoga annumeravimus, verum etiam quemnam effectum hæc omnia producere atque qualem materiam peccantem maxime de corpore tollere queant, prolixe demonstratum fuit. Vnde profecto facile patet, quod cum *Asarum* nostrum, inprimis vi vomitum creandi gaudeat, in affectibus cujusmodi cachexia, quippe, in qua præcipue liquidum nutriens indolis per quam depravatæ deprehenditur, & quales porro esse solent, hydrops, icterus & apoplexia, tanquam alterans & evacuans magno cum fructu præbeatur. SIMON PAVLLI in *Quadr. Botan. Class.*

C 2 *II.* hæc

II. hæc sunt: *Asari radices lienis, jecoris, Mesenterii, uteri renumque obstructionibus, ex quibus multarum febrium origo manat, oppido opitulantur: quartana vero laborantium, veluti panacea Asari radix est, in quibus quoque post vomitum alvumque citatam, copiosum sudorem movet, si cum pipere in mero ante paroxysmum propinetur.* Eandem vero radicem in febri quartana optime adhibendam esse affirmat quoque HERMANNVS *in cynosur. Mater. med.* Multum quoque video tribuisse medicos in patria mea quondam clarissimos asaro, ad febrem quartanam profligandam. D D. PEZOLDVS *obs. 57.* commendat drachmam dimidiam aut duos scrupulos recens comminutæ radicis vnciis duabus vini Austriaci infundere per noctem, absque decoctione, maneque colaturam ægro præbere: vnde plerumque blandus vomitus, sed deinde conspicua per diaphoresin evacuatio euentura sit. Hac ratione semel iterumque vacuis diebus expurgato ægro, idem infusum sed lenissima ebullitione paratum, vna ante paroxysmi aduentum hora præbere iubet. Hanc methodum pulchre se gerere testatur ejusdem successor D.D.KLAVNIGIVS in *nosocom. charit.* Radicis cum melle & vino decoctum pulmonum etiam vitiosos corrigere humores & tussientibns ac asthmaticis multum conferre, pluribus testantur FREYTAG *in aur. Med.* ROLFINC. *de purg. veget.* Deinde etiam tanquam menses atque secundinas pellens tutum remedium consideratur, RVLAND. *in Thes. Med.* Celeberr. HOFFM. *in Clav. Pharmacevt.* SCHROEDER. *Lib. IV.* mentionem facit cujusdam Medici aulici Dresdæ aliquando florentis, qui Asari radicem omnibus fere medicamentis immiscuit. In arthritide etiam

iam ejus usum valde commendat. Denique decocto magnam virtutem ad morbum ischiaticum pellendum inesse RONDELETIVS commemorat, ut & magno cum effectu ipse expertus fuit, vid. ejus *Meth. cur. morb.*

§. XV.

Etiam optimum, si nimius ejus accedat usus, in vitium vertitur. Id quod etiam de radice *Asari* nostri dicendum esse videtur. Descripsimus ejus virtutem in multis affectibus fere maximam. Nunc vero quoque nonnulla de ejus abusu dicenda restant, quippe ex quo facile multis in morbis symptomata difficiliora generari possunt. Sunt igitur tam subjecta, quam ipsi morbi, ante usum illius quam maxime perscrutandi. Quod ad subjecta attinet, probe cavendum erit, ut neque infantibus neque senibus istud porrigatur. Prioribus enim lenissima tantummodo sunt perhibenda medicamenta, cum vires illorum fortioribus admittendis nondum sufficiant; posterioribus vero similiter ob debilitatem virium suarum fortiora non conducant. Obesis etiam atque gibbosis nostrum *Asarum* facile plus damni, quam utilitatis afferre potest. *Asarum* dubio procul inter fortiora evacuantia est ponendum. Ideo etiam multis in morbis ab ejus usu prorsus est abstinendum, si quis vero illud in doloribus capitis idiopathicis, phthisi, procidentia ani uterique, in inflammatione ventriculi, aliisque gravioribus affectibus adhibere velit, pessima exinde symptomata provocare potest. Sed ut unicum adhuc addam, prægnantibus nullo modo subministrandum erit, siquidem ejusdem usus facile abortum creare potest. FERNELIVS quidem *Lib. V. Cap. XIII. Edit.*

in fol. *Asarum*, inquit, *etiam prægnanti tutum, præsertim quum non exquisite teritur.* Sed tutius est ab ejus usu abstinere.

§. XVI.

Postremo autem omnium neque istud silentio prætereundum esse videtur, quod licet paucissimis adhuc de foliis nostri *Asari* dicendum restat, scilicet dum huc usque de radice, ejusque virtutibus sermonem instituimus, nunc quoque an in foliis quædam vis latitet, & qualem illa forte in arte salutari exercenda nobis usum præstare possint, addemus. Atque licet hæc non tam insigni præstantia, uti radices gaudeant, neque tamen habemus quod omnino omnem eorum rejiciamus usum. Præcipue cum citra omne dubium in infuso atque decocto, in viscidis, crassis lentisque humoribus pulmoni inhærentibus maxime conducant. Interdum etiam folia infunduntur & liquor per expressionem separatus pro purgante per inferiora & superiora usurpatur. Apud HERMANN. *in Cynos. Mat. med.* folia contusa soporem excitare, pulsibus vero imposita, febrem curare feruntur. Aquam e foliis destillatam Ictero, Hydropi, tam quartanæ quam tertianæ febribus medelam ferre, dicit CAMERAR. in *horto medico.*

Atquæ hæc demum potiora illa fuerunt, quæ de toto nostro *Asaro* hac in dissertatione inaugurali pro virili in chartas conjicere visum fuit. Benevolus autem lector, ut quælibet hac vice a nobis prolata in optimam partem accipiat, non nisi duobus adhuc verbis rogandus obsecrandusque erat.

F I N I S.

NOBILISSIMO

DOM. CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

QVum mihi dissertationem tuam inauguralem de asaro recensendam obtulisses, auide eam perlegi, quoniam agit de vegetabili, cui accuratius pernoscendo non pauca olim experimenta impendi. Excitabat me in Altorfina academia degentem insignis eius frequentia per omnes cæduas syluas & viuas sepes, vt nullibi copiosius forte obtingere posse videatur. Quod vero TV probe innuisti, multum variare vires huius plantæ pro regionum, quibus crescit, diuersitate; mature & ipse cognoui, & a practicis vno ore confirmatum accepi. Nam quum sæpius adhiberem radicem vel in puluere, vel infuso, folia etiam tentarem, effectum satis inconstantem deprehendi, quem vix semper potui ab indiuiduorum, medicina ista vsorum, diuersa constitutione deducere. Atque nisi hæc esset effectus inconstan-

stan-

ſtantia, haberemus utique in aſaro, quod radicem exoticam Ipecacoannam in noſtris terris ſuperfluam redderet. Enimuero ſpes eſt omnino futurum ut ad rationes certas hæc res poſſit deduci, inuenirique iuſtum tempus, quo colligi debeat, determinari etiam an magis valeat ex locis maxime opacis, aut ſoli magis peruiis accepta: aut an culta in hortis certiorem effectum redditura ſit. Hæc TIBI porro experiendo confirmanda permitto & commendo. Nunc gratulor finem ſtudiorum bene gnauiterque tractatorum felicem. Annus iam exactus eſt, ex quo ingenium TVVM noſcere & optimorum ſtudiorum amorem mirari cœpi, amareque indolem tuam ad ſalutaris artis ſtudia aptiſſimam. Faxit DEVS ut porro feliciſſime progrediaris in operibus artis edendis, tuæque patriæ plurimum proſis. Vale a. d. XXIX. Maii M. DCC. XXXIX.

